


FR. CAROLI WEX

DE

PUNICIS PLAUTINIS

MELETEMATA

AD

GUILIELMUM GESENIUM.



LIPSIAE
VENUMDAT FRID. CHRIST. GUIL. VOGEL.

MDCCCXXXIX.



II. Scena altera.

MILPHIO. AGORASTOCLES. HANNO.

MI. Adibo ad hosce atque appellabo punice. 22
Si respondebunt punice, pergam loqui,
Si non, tum ad horum mores linguam vertero.
Quid ais tu? ecquid commeministi punice? 25
AG. Nihil edepol; nam qui scire potui, dic mihi,
Qui illinc sexennis perierim Carthagine?
HA. (seorsum) Pro di immortales! hunc ad plurimi modum
Periere pueri liberi Carthagine.
MI. Quid ais tu? **AG.** Quid vis? **MI.** Vin' appellem hunc punice? 30
AG. An scis? **MI.** Nullus me est hodie Poenus Punior.
AG. Adi atque appella, quid velit, quid venerit,
Qui sit, quoiatis, unde sit; ne parseris.
MI. *Avo*, quoiates estis, aut quo ex oppido?
HA. *Annon muthumballe beccharede anech.* 35
AG. Quid ait? **MI.** Hannonem sese ait Carthagine,
Carthaginiensis Muthumballis filium.
HA. *Avo* **MI.** Salutat. **HA.** *donni.* **MI.** D o n i volt tibi
Dare hic nescio quid; audin' pollicerier?
AG. Saluta hunc rursus punice verbis meis. 40
MI. *Avo donni* mihi, inquit hic tibi verbis suis.

In his ego punica supra ita scripsi, quomodo scribenda existimo. Scripturae discrepantias codicis Y non habui. V. 23. Vulgo distinguebatur post *respondebunt,* transposui comma post *punice.* — V. 28. Vulgo *plurimi ad hunc modum.* Illud reposui ex edd. vett. Cf. Curcul. IV, 1, 6. *commonstrabo, quo in quemque hominem facile inveniatis loco.* — V. 31. In Aldina Venet. 1522 legitur: *quin nullus est me Poenus Punior.* Quod admodum mihi placet. — V. 35. *Annon muthumballe]* sic *ΠΡΛφ*, nisi quod *φ Anno* et *Λ Hanno mutum balle* praebent. In *ψ* legitur ANNOↃLMoIoHYMBALLA. — Ibid. *beccharede]* sic scripsi ex coni. *becha edre ΠΛ beccha edre φ bechaedee P baccha edre μ.* In *ψ* evanuit scriptura. — *anech]* sic *ΡΛφ* ᴀNNECH *ψ enehc Π.* — V. 36. In cod. *Π Quid ait* Milphioni tribuitur, reliqua Agorastocli. — V. 37. *Carthaginiensis]* sic *ΠΨ Carthaginienses P Carthaginiensem* vulgo. — V. 38. *Avo]* sic vulgo. *Vo ΠΛφ.* (Supra v. 34 et v. 41 omnes cod. *avo* praebent.) — Ibid. *donni] domni φ.* — V. 39. *hic]* sic *ψ hinc* vulgo. — *pollicerier]* pollicitarier *ψ.* — V. 41. *avo donni]* sic *ψ avo nonni P avo nonne ΠΛ avo nõne φ.* Ceterum hic versus vulgo sic scribitur: *avo donni, hic mihi tibi inquit verbis suis.* At in *ΠΡ* legitur *mihi hic,* in *ψ*: AVO DONNɪᴍ INQVIT HIC TIBI VERBIS TVIS. Vide adnotat. nostram.

HA. *Mehar bocca.* MI. Istuc tibi sit potius quam mihi.
AG. Quid ait? MI. Miseram esse praedicat buccam sibi.
Fortasse medicos nos esse arbitrarier.
AG. Si ita est, nega esse, nolo ego errare hospitem. 45
MI. Audi tu: *rufen nu co is tam.* AG. Sic volo,
Profecto vera cuncta huic expedirier.
Roga numquid opus sit. MI. Tu, qui zonam non habes,
Quid in hanc venistis urbem, aut quid quaeritis?
HA. *Muphursa* AG. Quid ait? HA. *mihu lech ianna.* AG. Quid venit? 50
MI. Non audis? mures Africanos praedicat
In pompam ludis dare se velle aedilibus.
HA. *Laech lachannam liminichot.* AG. Quid nunc ait?
MI. Ligulas canalis ait se advexisse et nuces.
Nunc orat, operam ut des sibi, ut ea veneant. 55
AG. Mercator, credo, est. HA. *Is amar hinam.* AG. Quid est?
HA. *Palu merga datho.* AG. Milphio, quid nunc ait?
MI. Palas vendundas sibi ait et mergas datas.
AG. Quid istuc ad me? MI. Certiorem te esse volt,
Ne quid clam furtim se accepisse censeas, 60
Ut hortum fodiat atque ut frumentum metat.
Ad messim, credo, missus hic quidem tuam.

V. 42. *mehar bocca]* sic *ΠP me har boccha Λ* MEcHARBVc *ψ me bar bocca φ* et vulgo. — V. 46. *audi tu]* audin tu *ψ* — Ibid. *rufen* sic *ΠΛφ rufeen P* RVFEYN *ψ.* — Ibid. *nu co is tam]* sic *ΠPΛφ* NYCCHoo^{T}SAM *ψ.* — V. 50. *mi hu lech ianna]* sic scripsi ex coni. *miuulec hi anna P muiulechianna Π mu uilechianua Λ moinlec hianna φ. mure lech ianna* coni. Gesen. — V. 53. *Laech lachananim limini chot P laleh claheananam limnçhot Π lalech lach ann mlin ii choct Λ lalech labcana nĩ liminicoht φ (labchana ni μ)* LICHLACHAINANLIMNIICHIO *Ψ.* — V. 56. *credo est] est credo Π.* — Ibid. *Is amar hinam]* sic scripsi ex Gesenii coni. *issam arbinam ΠP isam arbinam φ issain arbinam Λ* ASSAMooRooM *Ψ.* Ceterum in codd. personae sunt mutatae. Nam in *ΠΛφ* sic exhibetur locus: *P.* (i. e. POENUS) *issam M. arbinam quidem P. palum* cett. in cod. *P: issam B. arbinam quidem P. palum* cett. Notat Taubmannus: *„POE. isam aruinam. AG. Quid est?* Ita Ulricus Pistoris e vett edit. In Mss. est *issam M. arbinam quidem“.* — V. 57. *palum erga PΠφ paluin erga Λ* PoLVM ERG$^{IC}_{A}$ *Ψ.* — Ibid. *datho]* sic scripsi ex Gesenii coni. *dectha Πφ detha P* decha *Λ* IIHA *Ψ.* —

V. 58 — 62. In omnibus libris hi versus hoc ordine leguntur et hoc modo vulgo scribuntur:

M. Palas vendundas sibi ait et mergas datas, 58
Ut hortum fodiat, atque ut frumentum metat.
Ad messim credo missus hic quidem tuam. 60
AG. Quid istuc ad me? M. certiorem te esse volui,
Ne quid clam furtive accepisse censeas.

HA. *Muphonnium succoratim.* MI. Hem, cave sis feceris,
Quod hic te orat. AG. Quid ait, aut quid orat? expedi.
MI. Sub cratim ut iubeas sese supponi, atque eo — 65
Lapides imponi multos, ut sese neces.
HA. *Gunebel balsamen ierasan.* AG. Narra, quid est?
Quid ait? MI. Non hercle nunc quidem quicquam scio.
HA. At ut scias nunc, dehinc latine iam loquar.
Servom hercle te esse oportet et nequam et malum, — 70
Hominem peregrinum atque advenam qui irrideas.

In quibus sententiae plane non inter se congruunt nexuque carent. Transposui igitur versus in eum ordinem, quo supra leguntur. Vide infra interpretationem nostram. Singula quaedam verborum vitia emendari poterant ex codd. auctoritate, sic v. 61 (nunc 59) pro vulgata scriptura *volui* cod. *P voli*, cod. Ψ *volt* praebet, quod reposui; v. 62 (60) pro *furtive* cod. *P* praebet *furti se* Ψ *furtim se*. De pleonasmo *clam furtim* cf. Poen. III 3, 49. *At enim hic clam furtim esse volt, ne qui sciant.* (Praeterea in φ pro *sibi ait et mergas* (v. 58) scriptum est *sibimet mergas* et pro *missus* (v. 60) *nisi.)* — V. 63. *muphonnium]* ΠPφ *mufonnium* Λ. MVFooNıM Ψ. — Ibid. *succoratim]* sic reposui. *succorahim P* sucoraphim Π SICCORATIM Ψ *sucoraim* Λ sucoram φ. — Ibid. *cave sis feceris]* recte sic Ψ et cdd. vett. Male vulgo *cave si feceris.* Cf. Pers. V, 2, 35. *cave sis me attingas.* Trin. II, 4, 112. *cave sis feceris.* — V. 65. *ut]* sic Ψ vulgo *uti.* — *sese]* se PΨ. — V. 67. *gunebel balsameni erasan* ΠP *gunebel balsamen erasan* φ *gunebel balsemem erasan* Λ GVNEBBALSAmIMLIRILA Ψ.

Interpretatio punicorum.

Qui punica huius et tertiae scenae explicare studuerunt interpretes, non ea videntur apprime animo secuti esse, quae satis consentanea essent ingenio atque naturae poetae comici, qualis Plautus est, qui, quae commode latine dici potuissent, profecto non punice loquentes fecisset personas, nisi ita multimodis audientium delectationi inservire voluisset. Sed in quo cernatur poetae artificium, lepores in singulis sectantis, id melius comparebit ex enarratione singulorum. In his Gesenii interpretationem ubique nostrae adiiciemus, pleraque aliorum *) conamina praetermittenda putavimus.

*) Aggressi sunt punica huius scenae praeter Gesenium, qui viam nobis praemunivit, Petitus, Sappuhnius, Tychsenius, Bellermannus, Lindemannus, Jul. Wurmius (in Jahnii Novis Annal. philol. XXIII, 1.). Robiani conamina non vidi, neque quidquam ex iis excerpsit Gesenius. Novas Gesenii de v. 35 curas et interpretationem v. 22 scenae III. invenio nunc ipsum, quum haec traditurus sum typographo, in Diariis Halensibus 1839 no. 14 sq., ubi de priori libelli mei parte humanissime iudicium facit Vir Summus. Adspergam adnotationi meae, quae huc pertinent; quae adnotavit de superioribus versibus, in Addendis communicabo.

Colloquuntur Milphio, Agorastocles et Hanno. Horum Agorastocles nescit punice, Hanno utramque linguam callet, ut nos quidem ex reliquis satis intelligimus, sed ab initio huius scenae dissimulat se latine scire, id quod Plautus commonuerat spectatores supra prologi v. 112

Et is omnes linguas scit, sed dissimulat sciens
Se scire. Poenus plane est, quid verbis opus?

Milphio contra simulat se punice scire, at non intelligit nisi tantum, quantum nostri homines de plebe gallicam linguam degustarunt, qui si cum huius nationis hominibus aliquantulum versati sunt, nonnullas de triviis haustas voculas et formulas arripuerunt, veluti *oui Monsieur, bon jour, c'est bon, sacre nom de Dieu,* et reliqua huius generis. Non intelligere eum illam linguam, id satis indicavit poeta eo, quod illum inducit multum venditantem suam linguarum scientiam, quum non modo punice, sed etiam, si opus fuerit, alia lingua cum peregrinis illis hominibus se locuturum esse glorietur (v. 23. 24. 31.). Haec ridicula iactatio etiam ex eo conspicua est, quod, ubi Hanno voculam aliquam quotidianam emisit, statim interpellans eum, eius verba probe se intelligere ostentat (v. 38). Satis caute autem, antequam se interpretem offert, quaerit ex domino suo, num ille illam linguam calleat (v. 25); quod quum ille negasset, audacius illam speciem prae se fert, praesertim quum Hannonem latine nescire in animum inducat. Aperte autem ejus inscientia patescit eo, quod, quamquam et ipse profitetur se punice illos hospites appellare velle (v. 22. 30) et a domino iubetur (v. 40) tamen, quia mox consumta est sua punicorum vocabulorum copia, statim ad latinam linguam confugit (v. 34. 41). Hanno denique et inter sermonem illum (v. 57) et scena III. v. 26 aperte dicit futilia eum iactare neque quidquam scire. Uberius haec exposuimus, quia ab hac re, de qua non satis convenerat inter interpretes, cum maxime apta est iusta punicorum interpretatio. Equidem illud quoque animadverto, ipsum poetam neutiquam id secutum esse, ut Hannonem et Poenorum linguam in risum verteret, quod plerosque existimare video interpretes, sed Milphio potius, qui illum ludificari parat, risum quum captat, ipse potissimum praebet. Ipse est una persona ridicula. Quemadmodum igitur in nostris comoediis saepe homines introducuntur, qui quum francogallice scire videri volunt, risui exponunt suam ignorantiam et haesitationem, sic Milphio suis punica interpretandi et loquendi periculis cachinnum movet spectatorum. Magnam autem ille hoc nomine prodit astutiam, quum aut ea, quae non intelligit, scurrilem in modum ex sonis verborum interpretetur, quasi latina essent, quae Hanno locutus esset, aut quae intelligit in contumeliam suam dicta, eodem nugatorio modo in aliam sententiam detorqueat ad dominum suum eludendum. Habemus igitur maximam partem eiusmodi verborum lusus, quales multi apud nos circumferuntur ex gallica lingua depromti. Quae quum ita sint, non cogitandum est, Hannonem, ut primum sensit, nebulonem illum se deridere et ludificari velle, serio respondere ad ea, quae ab Milphione quaesita essent, quo omnis lepos everteretur et comici quasi nervi eliderentur. Satis habet ille eius petulantiam perstringere. Alia, in quibus Plauti facetiarum lepos emicat, videamus in singulis.

V. 34. *Avo]* quod omnes recte interpretati sunt, est Poenorum salutandi formula. Est imperativus verbi חָיָה vixit, qui quum singulari numero חֱיֵה vel חֱיָא sonet, et per apocopen חַי, (*av; aṽ*), recte monuit Gesenius illud *avo* esse pluralem. Quem si hoc nomine id male habet, quod deinde v. 41 Milphio, quanquam unum Hannonem compellet, tamen *avo* dicat, id quidem deinceps nos satis explicabimus, neque debebat Gesenius nuper in diariis Halens. p. 122 desciscere ab hac priori sua sententia, quam eandem proposuerat Scaliger in Append. ad librum de emend. temp. p. 32. Nunc enim Gesenius in illo *avo* latere putat substantivum חַיִּים (longa) vita, felicitas, quod Poeni eodem modo acclamarint, ut Hebraei שָׁלוֹם. Equidem confidenter sic statuo, Poenos, si unum aliquem

appellarent, dixisse *au doni**) חַו אֲדֹנִי salve mi domine, si plures, *avo donni* חַוּוּ אֲדֹנַי salvete domini mei. De priori conf. *au dones* scen. III. v. 22 salve domina, (de quo vide nos infra) et *avamma* salve mater, quod scen. III. v. 22 praebet codicis palimpsesti recensio. Pluralem diximus *avo donni* pronuntiatum esse. Scilicet per duplicatum *n* expressam puto punicam numeri pluralis pronuntiationem. Cf. de *balle* ad versum sequentem.

V. 35. *Annon muthumballe becharede anech]* i. e. חנון מתנבעלי בקר חדה אנך, sive hebraice: חַנּוֹן מַתַּן בְּעָלִים בֶּן קִרְיָה חֲדָשָׁה אָנֹכִי i. e. Hanno Muthumballe, filius (i. e. civis) Carthaginis ego (sum). Atque חַנּוֹן quidem, Clemens, notissimum est nomen proprium Poenorum, graece *Ἄννων*, latine Hanno pronuntiatum. Neque minus tritum nomen videtur fuisse Muthumbal,

---

*) Omnes horum Punicorum interpretes inde a Bocharto citant de hac salutandi formula „Antipatri Sidonii epigramma ad Meleagrum Tyrium in Anthol. lib. III. c. 25. epigr. 70."

ἀλλ' εἰ μὲν Σύρος ἐσσὶ, Σαλάμ, εἰ δ' οὖν σύγε Φοῖνιξ,
Αὔδονις, εἰ δ' Ἕλλην, Χαῖρε, τὸ δ' αὐτὸ φράσον.

At nesciunt, illud αὔδονις nil esse nisi coniecturam Scaligeri, qui ex nostro demum loco Plautino epigrammatis scripturam correxit. Epigramma illud, quod Bochartus dicit, legitur Brunck. Anall. I. p. 37, n. 126. Jacobs. Anthol. gr. I. p. 38. n. 126. Anthol. Pal. I. p. 431, n. 419. Delect. epigr. p. 115 totumque hoc est:

Ἀτρέμας, ὦ ξένε, βαῖνε· παρ' εὐσεβέσιν γὰρ ὁ πρέσβυς
εὕδει, κοιμηθεὶς ὕπνον ὀφειλόμενον,
Εὐκρατέω Μελέαγρος, ὁ τὸν γλυκύδακρυν Ἔρωτα
καὶ Μούσας ἱλαραῖς συστολίσας Χάρισιν·
ὃν θεόπαις ἤνδρωσε Τύρος Γαδάρων θ' ἱερὰ χθών·
Κῶς δ' ἐρατὴ Μερόπων πρέσβυν ἐγηροτρόφει.
ἀλλ' εἰ μὲν Σύρος ἐσσὶ, ΣΑΛΑΜ, εἰ δ' οὖν σύγε Φοῖνιξ,
ΝΑΙΔΙΟΣ, εἰ δ' Ἕλλην, ΧΑΙΡΕ, τὸ δ' αὐτὸ φράσον.

Pro isto Ναίδιος, quod omnes codd. praebent, Scaliger in Append. Operis de emend. temp. p. 32 αὐδονίς scribendum esse suspicatur. *In vulgatis codicibus*, ait, *traiectio litterarum facta est, ut* ναύδιος *scriptum sit* [libri potius: ναίδιος] *pro* αὐδονίς. Αὐδονίς *autem scripsit poeta pro* αὐδονί, *non quod ita dicerent Poeni, sed quia magis alludit ad desinentiam graecam.* Recepit hanc coniecturam Brunckius in Anall. et olim Jacobsius in Anthol. gr. at in Anthol. Pal. et in Delectu epigr. restituit codicum scripturam. Jam equidem adstipulor quidem Scaligero, et pro illo Ναίδιος, quod sensu cassum est, recte eum censeo in illo epigrammate αὔδονις reposuisse, nam pro αὔδονι, quod exspectaveris, sive hiatus vitandi caussa sive ex eo more, quo Graeci punica *baalti, adoni* in Βααλτίς, Ἄδωνις conformarunt, facile scripserit poeta αὔδονις: at vero ut Plautina vocabula illustremus, non possumus ad meram coniecturam provocare, quae ex ipsis illis Plautinis vocibus ducta est demum. Ceterum epigramma illud in Meleagrum poetam scriptum esse et codd. testantur et sua sponte intelligitur. In codd. si etiam compositum dicitur ab Meleagro, id verum esse iure dubitat Jacobsius Animadv. Tom. I. p. 141. Errorem istum Ludovicus Bachmannus, cuius exquisitam doctrinam de hoc epigrammate adibam, inde enatum suspicatur, quia carmen illud derivatum sit ex imitatione carminis alicuius Meleagri in se compositi, quod legitur Anth. Pal. VII. 417. Br. Anall. I. 37, 127. Idem vir doctus mihi scripsit Antipatrum Sidonium eius auctorem esse non posse, quia ipsius Meleagri in Antipatrum epitaphium exstet in Anall. Br. I. 35, 123. Anthol. Pal. VII, 428. Quod in lemmate ad v. 3 in cod. Palat. legatur εἰς τὸν αὐτὸν Μελέαγρον τὸν $\alpha\overset{\vartheta}{\Gamma}$ ποιητήν (siglum illud $\alpha\gamma\overset{\vartheta}{\alpha}$ scriptum est in apographo Gothano ab A. Jac. Paulsen accurate collato) sic se corrigendum putare: εἰς τὸν αὐτὸν Μελέαγρον τὸν ποιητὴν Ἀγαθίου. Τὸν ποιητὴν additum esse, ut discerneretur ille a Meleagro antiquo heroe, cuius ὁμωνυμίας mentio iniecta est in lemmate ad Anthol. Pal. Tom. I. p. 431 n. 421. Auctoris autem Ἀγαθίου nomen per compendium ad marginem adscriptum secus a librariis intellectum esse, ut illi τὸν ἀγαθὸν ποιητήν scribendum existimarent. Atque huic potissimum poetae monet proprios esse eiusmodi verborum lusus, qualis sub finem nostri epigrammatis inveniatur.

quod et in nummo legitur depicto apud Gesenium Monumentorum tabula XVI. ARISTO MUTVMBAL. RICOCE. SUF. et in inscriptione Musei academiae Cortonensis, quae invenitur in Actis fratrum Arvalium (Romae 1795) p. 782: AMMICAR — — MVTHVMBAL SAPHONIS. Gesenius retractata priori sua sententia, qua illud nomen explicuerat מְתִי בַעַל, nunc explicat מַתַּן־בַּעַל donum Baalis, quod idem nomen legitur in inscriptione Numidica VII. et in alia Algerii nuper reperta, necdum edita. Aliquanto rectius Lindemannus מֻתָּן בַעַל explicat, quod magis nunc credes ex iis, quae supra p. 18 de punica pronuntiatione horum participiorum adnotavimus. Ita demum satis intelligis, quomodo illud nomen pronuntiari potuerit *Muthumbal,* in quo נ ante ב per assimilationem in מ mutatum est. Provoco etiam ad aliud nomen *Mutines,* quo apud Livium XXV, 40. 51. XXVI, 21. 40. XXVII, 5, dux Numidicus appellatur, in quo plane eandem habemus illius participii formam atque supra legimus scen. I. v. 5. *byth lim mothyn,* modo quod hic quoque phoenicie *o* pro punico *u* scriptum est. Est autem illud *Mutin*es breviter dictum pro מֻתָּן בַעַל, uti Hebraei *Nathan* pro *Nathanael.* Significat igitur nomen illud idem quod *Annobal,* (in inscriptione apud Reinesium syntagm. inscript. antiq. p. 477) i. e. חנּוֹבעל quem Baal donavit, et, quae correptiores eiusdem huius nominis formae sunt, *Hannibal, Chanebo, Annibo*nius et hebraica nomina מַתַּנְיָה, נְתַנְאֵל נְתַנְיָה, יוֹנָתָן, יְהוֹחָנָן (Ἰωάννης) חֲנַנְיָה חֲנַנְאֵל et graeca Θεόδωρος et Διόδωρος.

Atenim nostro loco non *Muthumbal* legitur, sed *Muthumballe.* Nimirum est hoc מתן בעלים, in quo forma pluralis eadem est atque ea quam supra I, v. 10. legimus *body* (phoenicie) et *bode* (in punica versione) i. e. עֲבָדִים. Atque magno cum gaudio video nunc Gesenium quoque in diariis Hal. *-balle* (in Ψ *-balla*) pro plurali habere, at ille non decurtatam illam pluralis formam in his suspicatur, sed in illa terminatione *-balla (-ballai)* inesse putat suffixum primae personae, ut sit מַתַּן בְּעָלַי, donum Deorum meorum. Provocat ad aliquam Poenorum consuetudinem, qua illi nominibus Deorum atque hominum a Diis denominatorum suffixa primae personae addant. Confert מעשיבעלן in Inscript. Numid. II. p. 202 Ἄδωνις i. e. אֲדֹנִי, Βααλτίς et Βωλαθής i. e. בַּעֲלָתִי et novitiam dictionem *Nôtre-Dame, zu Unserer Lieben Frauen.* [Non trahere huc debebat בעלן ex inscriptionibus Carthagg. p. 168. 174. 175. quia in his pronomen additum est iusto et plane usitato modo]. Largiar, ita consuesse Poenos, at neutiquam adstipulabor, id in nostrum locum transferri debere. Etenim supra complura habuimus illius suffixi exempla, in quibus eius pronuntiatio semper expressa erat per *ii* (in cod. *Π u* per quotidianum errorem) cf. I, 2. *mlahchii,* v. 3. *binuthii.* Itaque equidem, nisi forte Gesenius *-ballii* scribi iusserit, in mea sententia persisto, atque in palimpsesto quoque BALLE reponendum censeo, praesertim quum in hoc quoque codice pluralis עבדים I, v. 10. BODE scriptum exstet, quanquam illud *balla* quoque defendi poterit ita, ut contendas cum priscis illis pluralis hebraici formis שַׁדַי, אֲדֹנַי. Pronuntiatio pluralis repraesentari mihi videtur duplicato *l,* uti iam supra suspicati sumus in *donni.* Factum hoc est aut propter mutatum accentum, aut propter eandem caussam, qua infra v. 50. יענה *ianna* et supra I, v. 10. אשאל *issil* (vide p. 23) scriptum est. Gesenius si l. l. de duplici littera *l* provocat ad Βαλλώνυμος, regis Sidonii nomen apud Diodorum XVII, 46. id confiteor me non intelligere. Hoc enim nomen, quod plane nihil pertinet ad בעלים ipse docuit Monum. p. 398. 402 contractum videri ex *Badlonymus,* ut idem sit quod *Abdalonymus,* עבד עלונים, quomodo idem rex nominatur apud Curtium IV. 1, 19 et Justinum XI, 10. (in editt. depravate *Abdolonymus,* illud habent codd. Curtii). Neque vero contemnenda est Wesselingii suspicio, qui illud ΒΑΛΛΩΝΥΜΟΣ ex *[Α]*ΒΔΑΛΩΝΥΜΟΣ enatum censet.

Quoniam autem Milphio punica illa latine reddens interpretatur: *Hanno Muthumballis filius,* secuti eum sunt plerique nostri interpretes, non reputantes, sic בן addendum fuisse. Unus Gesenius,

hac re offensus, verbis ex coniectura emendandis huic malo mederi studet. Verum non debebat ex mea quidem sententia anquirere, quomodo punica latinis illis Milphionis congruerent, sed illud potius investigare, quomodo Milphio stribliginis alicuius convinci posset. Equidem igitur, nil curans Milphionis interpretationem, quam falsam potius convinci volo quam a peccato immunem videri, nihil desidero illud בֵּן aut aliam ullam filii notationem, quia *Muthumballe* non patris nomen esse puto, sed ipsius Hannonis cognomen sive nomen gentilitium. Poenos quoque duo nomina habuisse, concedes, si memineris Hamilcaris Barcae, cf. Corn. Nep. vit. c. I. *Hamilcar, Hannibalis filius, cognomento Barcas.* Sic in inscriptione apud Gruterum p. 470 legimus: AGENTE CELERE MILCHONIS GVLALSAE FILIO, atque in eadem inscriptione haec habes duorum illius anni suffetum nomina: EGERVNT HASDRVBAL IVMMO HASDRVBAL HANNONIS CHINISBO*) SVFFETES, et quae sequuntur nomina SAEPO CHANEBO JADER JVMMO BANNO GABALI ARISTO APOI LEGATI quatuor tantum hominum nomina videntur esse, duorum priorum bina, reliqua simplicia, quibus patris nomen additum est. Deinde in inscriptione apud Reinesium synt. inscript. ant. p. 477. EGERVNT LEGATI AZDRVBAL SVFFES ANNOBALIS F. AGDIBIL BONCARIN JDDIBALIS F. AGDIBIL BALITONIS F. Ingeniosa profecto est Gesenii coniectura, quam proposuit in Addendis p. 469 pro *muthumballe* legendum esse *lemuthumbal* לְמתנבעל, ut praefixum לְ nota sit genitivi ad quem בֵּן animo intelligendum sit (cf. I. Sam. XVI, 18 בֵּן לְישַׁי Lehrg. p. 673). Atque facile videatur confirmari haec coniectura codicis palimpsesti auctoritate, ubi vere nomini illi *L* praepositum videtur. Maiorem etiam veritatis speciem huic suae coniecturae nunc in diariis Hal. conciliare studuit alia suspicione. Etenim quia ante illam litteram *L* in cod. palimpsesto alius praeterea litterae vestigium notatum est, cuius rudera *C* facile pro *S* haberi possint, coniicit Vir Summus, illius codicis scripturam hunc in modum supplendum esse: ANNO SILMVTHVMBAL i. e. שֶׁלְמתנבעל qui (est) Muthumballis sc. filius, quam notam genitivi recentioris hebraismi propriam (Lehrgeb. p. 673) in inscriptionibus Numidicis VI, VII. inveniri monet. Contra monere possim, in his ipsis inscriptionibus בֵּן additum esse, de cuius ellipsi potissimum hic mihi agi videtur**): at istud quidem utut est, lubenter in hac re Viri Summi auctoritati concedo vereque et recte codicis palimpsesti scripturam ab eo suppletam et explicatam censeo; verum equidem de illius codicis indole et punicorum recensione ita iudico, ut reliquorum librorum memoriam non putem ex illo refingendam esse, ideoque ab ea, quam supra proposui interpretatione non recedendum mihi videtur. Illa enim huius codicis scriptura confirmavit mihi aliquam meam suspicionem, quae mihi primum oborta erat in enucleando scenae III versu 22. Scilicet quod iam supra p. 10 notavi, codicis palimpsesti et reliquorum codicum scripturae discrepantiam in punica (prosaica) Hannonis oratione magnam partem inde explicandam videri, quia quaedam verba ab docto aliquo Poeno ad phoeniciae dialectus normam conformata essent, idem dici potest de punicis secundae et tertiae scenae, in quibus idem diasceuastes, qui quidem haud scio an idem fuerit, qui Hannonis orationem versibus phoeniciis conclusam addidit, non modo ad phoeniciae grammaticae rationem nonnulla recensuit, verum etiam, quaedam eam ob caussam immutavit, ut punica magis congruerent cum latinis Mil-

---

*) Sic equidem scribendum censeo hoc nomen. Cf. annotationem meam ad scen. III. v. 22. Apud Gruterum scriptum legitur CHINISDO, cuius etyma frustra anquisivisse mihi videtur Gesenius Monum. p. 405.

**) Quae huius ellipsis exempla attulit in Addendis p. 469 II. Sam. III, 2. V, 3. 5. ea ipse iam indigitavit ita comparata esse ut vix argumento esse possint; nunc in diar. Halens. provocat ad nummos Arabicos, in quibus subinde *filius* omissum sit, citatque Frähn Rec. numm. cf. Tom. I. pag. 387, pag. 148 sq. coll. 448. 504. 597—599.

phionis interpretationibus. Itaque Aristarchus iste punicus, doctior ille quam ingeniosior, quasdam Plauti facetias temere obscuravit. Videlicet quod scen. III, v. 22 in codice palimpsesto pro *audones* legitur *avamma*, quod Lindemannus explicat חו אמי salve mater mea, Gesenius: הו אמה salve matercula, id invexit ille Aristarchus, quia Milphio deinceps explicat, *matrem hic salutat suam;* at in reliquis codd. nihil tale invenitur, neque ita scribi voluit Plautus. Sic h. l. quia Milphio interpretatur, *Muthumballis filius*, ille punica his conformanda et corrigenda ratus genitivi aliquam formam excogitavit *silmuthumballe*, at Plautus voluit, ut Milphio punica secus interpretaretur. In quo cernatur eius error, paullo post explicabimus. Idem ille grammaticus pro punicis pluralis numeri formis *rufen* v. 46 et *balsamen* v. 67, substituit in cod. palimpsesto phoenicias formas *rufein* et *balsamim*.

beccharede] sic emendavi librorum scripturam *bechaedre*. Nam *charede* puto punicam esse appellationem Carthaginis urbis, in vita quotidiana usurpatam. Plene scribitur קרת חדשה (קריה חדשה) i. e. νέα πόλις. Stephanus Byz. s. v. Καρχηδών: ἐκαλεῖτο δὲ καινὴ πόλις. — ἔστι δὲ καὶ ἄλλη Καρχηδών, πόλις Ἰβηρίας, ἐκαλεῖτο δὲ καὶ αὐτὴ καινὴ πόλις. Eustathius ad Dionys. v. 195 (p. 30. a. St.) φασὶ δὲ καὶ ὅτι ὁ ῥηθεὶς Ἰάρβας τὴν πόλιν μετὰ τὴν κτίσιν καθάρας ἐκάλεσε τῇ Λιβύων φωνῇ καινὴν πόλιν. Servius ad Virg. Aen. I, 370: *Carthago est lingua Poenorum nova civitas, ut docet Livius.* Iam קרת saepe in קר deminuitur. Cf. nomina urbium *Caralis* (hodie: Cagliari) i. e. ex Gesenii p. 421 interpretatione קר בעל; *Carpi* i. e. קר פה civitas orae, et מלקר pro מלקרת; ipsum denique graecum urbis nomen καρ-χηδών. Altera autem vox חדשה in *ada*, nostro loco in *ede* mutilatum est. Recorderis nomen Carthaginis, quo apud Solinum c. 30 appellatur: *urbem istam Elissa exstruxit et Carthadam dixit, quod Phoenicum ore exprimit civitatem novam,* cf. etiam simile alius urbis nomen *Macomada* Gesen. p. 424. i. e. מקום חדש. Litteram enim ח satis constat in sexcentis vocabulis obscurari. Cf. modo חנבעל ,חנכ, Ἄννων, Ἀννίβας, cett. infra scen. III, v. 22 *in* i. e. חן.

Priorem huius vocis syllabam *be* omnes interpretes putant esse בְּ. At id esset profecto Carthagini *(in Carthago)* non Carthagine *(aus Carthago)*, quod unum nostro loco convenit. Equidem igitur explico בן־קר חדשה filius Carthaginis i. e. Carthaginiensis. Cf. Psalm 149, 2, בְּנֵי צִיּוֹן filii Zionis i. e. Zionitae, Ezech. XXIII, 15, בְּנֵי־בָבֶל Babylonii, Esra II, 1, בְּנֵי־הַמְּדִינָה filii provinciae, Gen. XVII, 12, בֶּן־נֵכָר filius terrae exterae. De assimilatione ן finalis vocis בֵּן tu confer. Βάσληχος regis Tyrii nomen, quod Gesenius p. 402 explicat בן צלח atque apud Hebraeos בִּדְקַר et בִּמְהַל pro בֶּן־דֶּקֶר, בֶּן־מָהַל (cf. Gesen. lex. man. s. h. vocc.). Hanc ob caussam ex quibusdam libris *cch* pro simplici *ch* adsciscendum putavi.

Quod igitur Hanno dicit: sum Hanno Muthumbal, filius Carthaginis, id secus intelligens Milphio corrumpit in Hanno, Muthumballis filius, Carthaginiensis. — Ibid. *anech*, quod vulgo cum antecedentibus syllabis copulabatur, primus vidit Gesenius esse אנך i. e. ego (sum).

V. 38. *Avo — donni]* salvete domini mei, supra iam sunt explicata. Adverte autem, quomodo Milphio, prurítu quodam ostentandae suae punicorum scientiae instigatus, Hannonem interpellat suamque vocnlae illius *avo* interpretationem statim adiicit. *Donni* si detorquet in doni, ludificatur dominum. Ceterum libri manu scripti pro *avo* praebent *Vo*. Potuerit sane usitatum fuisse, hoc modo decurtare illam formulam, at tum versus requirit illud *avo*, tum videtur enatum esse ex errore librariorum, qui illud *A* cum sigla loquentis personae connectentes pro *H. AVO* scriberent *HA. VO*.

V. 41. *Avo donni]* Cum unus Hanno compelletur, debebat dicere *au doni,* at consulto poeta hunc soloecismum risus movendi caussa Milphioni tribuit, qui iussus a domino vicissim punice salutare Hannonem plane eadem forma utitur, quam modo ab Hannone et alias a Poenis salutantibus usurpatam audiverat. Verum aliam simul stribliginem ei affingit poeta. Tu mihi attendas ad reliqua huius versus verba, qui vulgo ita scribitur:

Avo donni, hic mihi tibi inquit verbis suis.

In his neque versus procedit, neque, quid sibi velit illud *mihi,* intelligi potest. Tu igitur ex codicum discrepantium vestigiis sic mecum refinge illum versum:

Avo donni mihi, inquit hic tibi verbis suis.

Milphio enim, cui obversatur latina formula salve mihi, nunc dicit eodem modo *avo donni mihi,* ut si quis apud nos pro: *Sein Sie mir willkommen, mein Herr,* diceret: *Sein Sie mir bon jour, Monsieur.* Similiter copulat scenae III, v. 33 *lachanam* vos! Ne offendaris dictione *verbis suis,* cf. Bacch. IV, 4, 79 *scribe salutem tuo patri verbis tuis.*

V. 42. *Mehar bocca]* explico equidem מְאֵרָה בִּרְכָךְ dirae sint tibi benedictio, *Fluch dir zum Dank.* Hanno igitur, qui nebulonis illius vanitatem et fraudulentiam perspexit, salutationem eius imprecatione remuneratur ad eum irridendum. Atque Milphio istuc quidem, utpote ex plebeiorum hominum circulis delibatum, probe intelligit, hinc respondet: *istuc tibi sit potius quam mihi,* domino autem aliam interpretationem scurrilem apponit. Jam prior quidem vox מְאֵרָה satis nota est, alteram autem punicam aliquam formam puto pro hebraica בְּרָכָה, sive placet בָּרוּךְ ut שָׁלוֹם, כָּבוֹד sive aliam statuere, cf. supra p. 22 ad v. 4. כְּצוּתָּ pro כָּצַת. Jam addito suffixo ex *borocca* (cf. *gubulim* supra) sive *borcca* enatum est per contractionem *bocca.* Cf. *Caccabe* pro *Carcabe,* קַרְקַף. Notum autem est verba ברך et ארר saepe sibi opponi, cf. Gen. XII. 3, XXVII, 19. Num. XX, 6. atque remunerationem in salutando בְּרָכָה dici. — Gesenius, qui editt. vulgatarum scripturam *mebarbocca* secutus, *mi bar bocca* scribit, explicat istud: מי בר בקי „quis filius urbis, i. e. quo ex oppido es“? Bellermannus מַה בַּר בְּכֵה qualis est filius fletus, *Was ist das für ein Sohn des Jammers? Was für ein jämmerlicher Mensch!* Idem propter sequentes voculas *miseram buccam* coniecit: מִי זָר בֹּכֶה quis peregrinus flebilis? Lindemannus: מִי זָר בֹּקֵא quis est peregrinus sciscitans?

V. 46. *rufen nu co is tam]* רְפָאִין אֲנוּ כֹּה אִישׁ תָּם medici nos hic sumus, bone vir. Milphio igitur fraudulenter sive mavis propter imperitiam linguae contrarium dicit eorum, quae dominus iusserat. Hoc secutum esse Plautum, facile vides ex eo, quod Agorastoclis fidelem et credulam sinceritatem, valde discrepantem illam ab hac Milphionis fraudulentia, bis exprimit, cum illum dicentem facit: *nolo ego errare hospitem* v. 45 et *sic volo, profecto vera cuncta huic expedirier* v. 47. Hoc Plauti consilium quia non perspexerunt interpretes, omnes eam sententiam extricare studuerunt: *nos non medici sumus.* Hinc Gesenius pro *co* scripsit *lo* לֹא, Tychsenius explicat רֹפֵא אֵינְךָ nonne medicus es? Wurmius: רֹפְאִים אֵינֶנּוּ, medici non sumus, vel רֹפֵא אֵינֶנּוּ „medicus neuter nostrum est“. *Is tam* viderunt Tychsenius et Gesenius esse אִישׁ תָּם. De forma pluralis *rufen* vide infra ad v. 67.

V. 50. *muphur sa]* מוּפָר זֶה en perditum hominem! *muphur* enim puto participium Hophal esse verbi פּוּר. Est enim הוּפַר perdi, everti, *ματαιοῦσθαι* (Jes. VIII, 10; Jerem. XXXIII, 21.) itaque מוּפָר homo *μάταιος,* perditus, nequam. De pronuntiatione *muphur* vide supra p. 18 ad I, v. 5 et p. 30 ad v. 35. Adiectum זֶה notum est saepe particulae vices sustinere, nequam iste homo, en hominem nequam. Si scirem illud זֶה etiam vocativo adiici, hunc potissimum

casum adsciscerem, ut arctius copularetur cum sequentibus punicis verbis. Gesenius explicat מפרשה explicationem, dilucidationem sc. desidero. Tum nimis serio responderet Hanno, quod alienum est a poetae consilio.

Ibid. *mihu lech ianna]* מִי הוּא לֵךְ יְעַנֶּה, quis tibi respondebit? Dedignatur Milphio nebuloni respondere. Duplici *n* scriptum est *ianna* propter obscuratum ע, cf. p. 28, ad v. 10. Gesenius propter sequentes latinas voces *mures Africanos* pro *mivu,* quod libri habent, ex coni. scripsit *mure,* quod explicat: מורה לך יענה doctor (i. e. Milphio) tibi explicabit. Equidem haud scio an illis latinis vocibus potius ad *muphursa* et per *ludis* ad *mihulech* alludatur.

V. 53. *Laech lachannam.* Vulgo legitur *laech lachananim.* Monuerunt Tychsenius, Bellermannus, Gesenius, hanc esse imprecandi formulam, quae repetito sed contractius legatur scen. III, v. 33, at in eo non consentiunt, quid ipsum vocabulum illud significet. *Laech* quidem omnes aiunt esse לֵךְ, abi; *lachananim* Bellermannus לְחַנָּנִים scribit et explicat ad daemonas, afferens arabicam vocem *Chännon (Chan).* Contra quem monuit Gesenius, istam vocem גן primitus non esse orientalis originis, sed ortam demum ex latino vocabulo *genius* ideoque serioribus demum temporibus in arabicam linguam invectam esse*). Tychsenius, cui obversatur imprecandi formula sollemnis illa apud N. T. scriptores εἰς γέενναν, explicat illud לְגֵי־הִנֹּם. „Hoc vocabulum haud dubie solis Judaeis fuit proprium" monet Gesenius. Primo quidem obtutu facile placuerit haec Tychsenii explicatio, praesertim si alteram scripturam *lachanam* respicimus. At vero quamquam Molochi cultus, qui ad daemonis alicuius iram averruncandam pertinebat, antiquissimis iam temporibus (II Reg. XXIII, 10.) in illa valle celebratus est, desumtus ille ab Ammonitis, (I Reg. XI, 5, 7.) quorum sacra admodum affinia essent Phoenicum religioni, idemque apud Poenos quoque usu receptus fuit, tamen non credibile est, loci illius, quo in Palaestina illi Deo sacra offerrentur, nomen Poenis innotuisse, ad quos ille cultus non ex Palaestina sed e Phoenicia propagatus est. Mitto, quod illa Judaeorum imprecandi formula εἰς γέενναν omnino non ad Molochi cultum, sed potius ad eam, quae postea insecuta est, huius loci devotionem referenda est. Gesenius explicat לחננים abi ad misericordes i. e. Deos, haec monens: חננים *misericordes videntur Dii appellati esse, de quibus persaepe verbo* חנן *Poeni utuntur, cf.* חנבעל, חנמלקר. [Melius contulisset Βάννων i. e. (ע)בד חנן servus Misericordis i. e. Baalis. Monum. p. 402.] *Neque ineptum est, eum ad Deorum misericordiam delegari, quem humana ope carere iubemus.* At enim haec esset irrisio potius quam imprecatio. Equidem diu in ea eram sententia, ut amplectendam putarem illam, quam Gesenius proposuit, vocem חננים, sed ita, ut statuerem esse hunc euphemismum, quo daemones irati significarentur eodem modo, quo Athenienses τὰς Ἐριννύας dicunt Εὐμενίδας et Σεμνὰς θεάς, quo Graeci mare illud periculosum hospitibus πόντον εὔξεινον nuncupant, et Hebraei בָּרֵךְ subinde dicunt pro maledicere. Explicabam igitur לֵךְ לְחַנָּנִים abi ad misericordes, i. e. ad daemonas. Jam si quaeris, qui sint isti daemones, possis excitare τοὺς δαίμονας τιμωρούς, quibus Philo apud Eusebium praep. evang. I, c. 10, malorum averruncandorum caussa pueros dicit mactatos esse: ἔθος ἦν τοῖς παλαιοῖς ἐν ταῖς μεγάλαις συμφοραῖς τῶν κινδύνων ἀντὶ τῆς πάντων φθορᾶς τὸ ἠγαπημένον τῶν τέκνων τοὺς κρατοῦντας ἢ πόλεως ἢ ἔθνους εἰς σφαγὴν ἐπιδιδόναι λύτρον τοῖς τιμωροῖς δαίμοσιν.

---

*) Conferri iubet Bellermannus Castelli lex. heptagl. London 1679, p. 1299. Golius lex. arab. p. 536. 537. Clodii lex. p. 164. 673. Meninski thesaurum linguarum orient. T. II, p. 312. Jdem si adeo latinam vocem *genius* ab arabica illa derivari vult, multum fallitur. Cf. Lambin. ad Horat. epist. II, 2, 187.

Eosdem daemones facile dixeris significari per השדים, quibus Psalm. CVI, 37. pueri a gentilibus mactati esse dicuntur, qui iidem daemones Deuteron. XXXII, 17 commemorantur et ab interpretibus graecis *δαιμόνια*, in Hieronymi latina versione *daemonia*, a Luthero *die Teufel* nuncupantur. At vereor, ne Philo illo loco antiquos populos universe dicat, et per השדים ethnica idola universe significentur, quae aliis in locis biblicis בעלים nominantur. De Poenis enim ubi referunt antiqui scriptores *), quorum libri pleni sunt de ista Poenorum victimas humanas immolandi consuetudine, semper unum tantum numen nominant, ad cuius iram placandam illa sacrificia facta sint. Atque dicunt eum illi quidem *Κρόνον* **), Saturnum. Constat autem aliunde, Saturnum apud orientales populos eum Deum existimari, a quo mala proficiscantur. Cf. Geseninm ad Jes. II, p. 343. Jam hoc in genere mirabile est, nomen כיון, quo Saturnus Amos. V, 26 appellatur, sono admodum similem esse nostro vocabulo punico. Itaque tum quia de pluribus Poenorum daemonibus, quos placandos putarint, nihil comperti habemus ***), tum quia aliquod Saturni nomen in illis syllabis latere facile suspiceris, etiamnunc dubito de veritate illius meae interpretationis, ideoque ex hac ratiocinatione nec ausim definire, quid sit, quod sequitur vocabulum *liminichot*, quod Tychsenius explicat למנחות ad requiescendum, Gesenius לי-מנחות mihi quies sit.

Verum enim vero haud scio an nos omnes rem nimis serio tractaverimus et cum gravitate quadam, quae minus deceat interpretem Plauti. Audi tu iam lusum aliquem meum, qui mihi succurrit. Quid, si in his non gravis aliqua imprecatio, sed admodum levis inest irrisio, ex vitae quotidianae triviis desumta? Quid, si illud est לך לכנים למנחות abi ad culices ad requiescendum? Quomodo culices כנים in Orientis terris quietem turbarint, patet ex Herodoto II, 95, ut satis acerba in illis insit cavillatio. (Cf. de hoc cavillationis genere adnotationem meam ad Sophoclis Antigonam v. 716 B.) Jam satis mire ita congruit, ut et in plerisque locis biblicis pro כנים scriptum sit כנם, et eadem forma *lachanam* tum scen. III, v. 33 legatur, tum nostro loco in codd. *ПЛА lachannam* suppeditari, idemque in palimpsesto utroque loco legendum esse videatur. Hanc interpretationem ut paene veram esse statuam, facit inprimis alter locus scen. III, 33, in quo iam insignis invenitur lepos. Videlicet Milphio, qui eodem plane modo uti nostri interpretes diram aliquam Poenorum imprecationem in illa voce inesse opinatur, mox hac punica dictione modo arrepta utitur in re sua, et servis Hannonis, in quos iram suam evomit, pessima quaeque imprecaturus dicit:

Lachannam vos, quos ego iam detrudam ad molas,
Inde porro ad puteum atque ad robustum codicem.

Quos igitur relegaturus est in loca maxime frigida et caliginosa, eos abire iubet ad culices! Qualem tu putas risum fuisse auditorum, qui melius quam Milphio scirent, quid significaret *lachannam?* Attende illud quoque, si scribamus *laech lachannam liminichot,* tum melius etiam congruere latinarum vocum (v. 54) sonos: ligulas canalis. Wurmius alteram Tychsenii interpretationem לך לכנענים abi ad mercatores magnopere collaudat, reliqua sic fere vult intelligi לאיי נכאת ad oras aromatum.

---

*) Plerosque citatos invenies apud Ger. Joannem Vossium de theologia gentili lib. II. c. 5, et apud Münter. *Religion der Karthager* p. 17 sq. Nunc accedunt inscriptiones Numidicae VI, VII, VIII apud Gesenium, quem vide Monum. p. 445 sq.

**) Euseb. praep. evang. IV, p. 156 Φοίνικες δὲ ἐν ταῖς μεγάλαις συμφοραῖς ἢ λοιμῶν ἢ αὐχμῶν ἔθυον τῶν φιλτάτων τινὰ ἐπιψηφίζοντες τῷ Κρόνῳ. Καὶ πλήρης ἡ φοινικικὴ ἱστορία τῶν θυσάντων, ἣν Σαγχουνιάθων τῇ Φοινίκων γλώσσῃ συνέγραψε.

***) Vix consentaneum foret huc trahere Sanchuniathonis verba (ed. Orell. p. 28): Οἱ δὲ σύμμαχοι Ἴλου τοῦ Κρόνου Ἐλοεὶμ ἐπεκλήθησαν ὡς ἂν Κρόνιοι.

V. 56. *Is amar hinam]* אִישׁ אָמַר חִנָּם, „vir loquitur frustra". Sic Gesenius, addit autem mirum esse, quod אָמַר absolute positum sit pro locutus est, quod quidem monet rarissimum esse aut potius dubium. Nec videtur mihi quidem illud significare, sed potius: cogitat, quae satis nota est illius vocis significatio. Dicit igitur Hanno: vir falso cogitat i. e. falleris tu quidem. Intelligendum enim est, אִישׁ h. l. honoris caussa dictum esse. Utitur Hanno Orientalium more tertia persona pro secunda. Quemadmodum enim Hebraei dicunt אֲדֹנִי שָׁאַל dominus meus quaesivit pro tu quaesivisti, sic h. l. Hanno Agorastocli, qui dixerat, *mercator, credo, est,* respondet *vir cogitat frustra* i. e. falleris tu quidem. Bellermannus, qui librorum scripturam *binam* retinet, explicat hoc אִישׁ אָמַר בִּינָם, quod esse vult: vir loquitur prudenter, recte dicit. Istuc putat Hannonem dicere, quia vere ille sit mercator. Unde tandem hoc scit Bellermannus? Equidem nullibi in fabula indicatum legi, Hannonem esse mercatorem. Deinde quod ad defendendum illud, quod ipse finxit, adverbium בִּינָם provocat ad רֵיקָם, חִנָּם, יוֹמָם, אָמְנָם, עוֹלָם, non meminit haec omnia a nominibus, non a verbis derivata esse.

V. 57. *Palu-merga datho]* פַּלּוּ מָה רֻקָּה דַּעְתּוֹ, iudicate, quam inanis (sit) scientia eius, i. e. en videte, quam tenuis sit eius scientia punicae linguae. Tu hunc locum sic mecum intellige: Hanno quum dixisset *is amar hinam,* Agorastocles ex Milphione quaerit: *quid est?* Hic autem quia haesitat et tacet, tum pergit Hanno: en videtisne, quam nihil scit? *Palu* existimo esse imperativum vocis פִּלֵּל iudicavit. Quoniam autem פַּלְּלוּ imperativus Piel, quae coniugatio apud Hebraeos una usitata est, non potuisset non *pallu* scribi, suspicor equidem apud Poenos coniugationem Kal usitatam fuisse, uti דָּבַר dicunt pro דִּבֶּר (vide p. 19 ad I, 6.). Jam פַּלּוּ uno *l* scriptum, non magis offendere potest quam v. 67 *ierasan* יִרְשָׁן et I, v. 9 *hily* אֵלֶּה. Bellermannus primam vocem explicat פַּלְּאוּ admiramini, at vereor ne illud verbum nec apud Poenos nec apud Hebraeos hanc vim habuerit. Gesenius explicat פְּלוּא מָה רֻקָּה דַּעְתָּם, mirum, quam inanis cognitio eorum. Illud פְּלוּא propterea non probo, quia Hanno videretur nunc demum cognovisse, Milphionem punice nescire, quam suam opinionem antea iam satis aperuerat. Quod ק in רקה per g expressum est, de eo vide Gesen. Monum. p. 433.

V. 59. Sequentes latinos versus ex coni. transposui. Nam quo ordine illi antea se excipiebant, nullus inerat sententiarum nexus. Qui enim palas vendundas habet, is num propterea eas venundat, ut hortum ipse fodiat? Atque si Hannonem Milphio ait ad messim Agorastoclis missum esse, qui tandem respondere is potest: *quid istuc ad me?* Immo magnopere hoc ad eum attinebat. Tu restituto iusto versuum ordine sic intellige locum. MI. palas et mergas hic sibi ait vendundas datas esse. AG. Quid istuc ad me? MI. Tu vide, ne in his fraus aliqua huius hominis lateat. Nimirum iste, quantum ego suspicor, ab aliis clam immissus [i. e. subornatus] vult in horto tuo furari. Jam ille, si pala fodiens et mergam gestans in horto tuo deprehensus fuerit, ut excusationem et refugium in promptu habeat, iam nunc profitetur se palas et mergas venundare, ut deinde idem praetexere possit. Admodum igitur vafer et versutus fur videtur mihi quidem iste esse.

Atque illam versuum transpositionem haud scio an tueri quodammodo possim codicis palimpsesti auctoritate. Scilicet vicino loco in hoc cod. duo versus (v. 81. 82) simili modo male transpositi sunt. Quid igitur? Potueritne, quum in antiquis codd. duae fere columnae esse soleant, in antiquo cod., ex quo descriptus est palimpsestus, nota aliqua de transponendis duobus versibus appicta fuisse, quae secus intellecta a librariis, ad eos versus relata fuerit, qui in altera columna e regione positi essent?

V. 63. *muphonnium succoratim]* מִי יִפְנֶה יוֹם שֶׁקְּרָאתִים, utinam dies inclinaretur, quo in istos incidi (proprie: quis faciet ut dies se inclinet). Hanno igitur pertaesus iam

huius colloquii, optat ut finis adducatur. Cf. Jerem. VI, 4 פנה היום, inclinat se dies, inde coniug. Piel: quis faciet diem inclinantem. Media syllaba *o* pronuntiata est, ut supra habuimus *rob* pro *rab*, *ockoth* pro *achoth* cett. Adiectum *ium* est יום, uti apud Philonem עליון pronuntiatum est Ἐλιοῦν. Possis etiam suspicari מי יפנהם quis abiget istos, in quos incidi. At non credo a Poenis הם *um* pronuntiatum esse. Scriberem tum potius *muphonnuim*, in quo provocare possem ad *cthibaruim* (I, 2) nisi istam vocem nunc alio modo explicandam statuerem, de quo vide Addenda. Paene certa videtur alterius vocis interpretatio. Tu enim cf. supra I, 1. *sicorathi* idemque in primo punico versu (v. 11) *succurati*, pro quo in cod. palimpsesto est *sicorathi*, atque ut librorum fidem admireris, nostro quoque loco in cod. palimps. scriptum est *siccorati* vocali minus obscura scilicet Phoenicum more. Habemus igitur eandem plane vocem atque supra, modo quod hic קרא est i. q. קרה. Apponam etiam aliquem meum lusum. Quid, si explicandum censueris: מִפֹּנִים שִׁקַּרְתֶּם prae Poenis vos mentimini, i. e. vos, qui „Poenos", quos dicitis, mentiri calumniamini, ipsi probe mentimini et magis quam Poeni (cf. PHONVS p. 11.). Aculeata tum in his verbis inesset et admodum lepida irrisio. Tychsenius explicat מִפְּנֵים שְׁקָרִים coram (dicit) mendacia. Gesenius מפכיהם שקרתהם removebo mendacia eorum. Prius vocabulum non dubitat quin sit מפכיהם (hebr. מְפַנֵּיהֶם) part. Piel verbi פנה; פִּנָּה removit, e medio sustulit (Zephan. III. 15). Arabum more pro Schwa mobili post praeformativam positum esse *u* [cf. *gubulim* cett. Ges. p. 436] et suffixum *um* scriptum esse pro הם; hoc autem suffixum ante ipsum substantivum (removebo ea, mendacia eorum) redundare ut sc. I. 4 *syllohom alonim*. In *succorahim* monet latere שקר cum suffixa הם, ita quidem ut aut *succrahim* (שְׁקָרֵיהֶם) legendum sit aut *succrathim* שִׁקְרָתְהֶם a feminino aliquo שִׁקְרָה = שקר. Hoc quidem ait praeferendum sibi videri propter verba latina *suo cratim*, quamquam repugnet illud, quod suffixum plurale in *muphonnium* nomen plurale poscere videatur. In his equidem maxime dubito de suffixo illo *um*, tum quia in altera adiecta voce ex Gesenii quidem interpretatione idem suffixum *im* formatum est ut alibi, tum quia, ad quas voces Gesenius provocare possit *syllohom* et *mysyrthohom*, eae illius dialectus propriae fuisse mihi videntur, qua usus est is, qui versus illos concinnnavit; in punicis enim eodem loco legitur *sillim* pro illo *syllohom*. Illae formae si fuerint antiquiores, e quarum demum correptione Hebraeorum הם et Poenorum *im* enatae sint, tum egregie confirmantur ea, quae supra de illius dialectus antiqnitate exposui. Reliquas difficultates Gesenius ipse indicavit. Wurmium video eadem vocabula eruisse, atque supra ego, at vertit ille: quis adducet(?) diem, quo obviam fiam illis (puellis)?

V. 67. *Gunebel balsamen ierasan*] גָּאוֹן־נֶבֶל בַּעַל שָׁמַיִם יְרַסֵּן i. e. petulantiam curae dominus coelorum capistret. Sic Petitus, Bellermannus, Gesenius. Pro *gunebel* haud scio an recte Bellermannus scripserit *gun nebel*, sed tamen Gesenius docuit, praeter גָּאוֹן cogitari etiam posse formam גָּאָן, unde ductum videatur femininum גַּאֲוָה apud Hebraeos usitatum. Utrumque vocabulum significat ὕβρις. De *balsamen* בעל שמים cf. Sanchuniathonem apud Eusebium praep. evang. I. c. 10 p. 34 C. (Sanchun. fr. ed. Orelli p. 14) αὐχμῶν δὲ γενομένων τὰς χεῖρας ὀρέγειν ἐς οὐρανοὺς πρὸς τὸν ἥλιον· τοῦτον γὰρ, φησὶ, θεὸν ἐνόμιζον μόνον οὐρανοῦ κύριον, Βεελσάμην καλοῦντες, ὅ ἐστι παρὰ Φοίνιξι κύριος οὐρανοῦ, Ζεὺς δὲ παρὰ Ἕλλησιν. Augustin. in Judd. II, 13 (Opp. ed. Maur. Vol. III. p. 447) *nam et Baal punice videntur dicere dominum, unde baalsamen quasi dominum coeli intelliguntur dicere.* Jam quod supra p. 32 dixi *balsamen* et *rufen* punicas esse formas, *rufein* et *balsamim* phoenicias, huic opinioni refragari videatur, quod Sanchuniathon illo loco ipsos Phoenices dicit βεελσάμην dixisse. At non repugnat eius auctoritas. Quis enim dubitat hodie, Eusebium et Philonem illud βεελσάμην pronuntiasse *beelsamin?* Atque vere alio Sanchunia-

thonis loco (ed. Orell. p. 10) eiusdem vocis terminatio *ιν* legitur. Quod enim ibi legitur *Ζωφησαμιν* (sic scribendum esse pro *Ζωφασημιν* vidit Gesen. Monum. p. 390) *τοῦτ᾽ ἔστιν οὐρανοῦ κατόπται*, quid hoc aliud est nisi צרפי שמים? Poenorum autem forma *baalsamen* satis confirmatur Augustini auctoritate. — *ierasan* ירסן est fut. Piel a רסן ligavit capistro. Mediae radicalis geminatio neglecta est, cf. I. v. 9. *hily* אֵלֶּה, supra v. 57. *palu* פלו, scen. III. v. 28. *etalam* אֶתְאַלֵּם.

III. Scenae tertiae v. 22. 23. 33.

Qui in hac scena leguntur versus duo punici, eos non explicuit Gesenius*); Bellermanni interpretationem idem monet ferri non posse, quia, quae ille attulerit, prorsus abhorreant a linguae punicae et hebraicae ingenio, neque ab alio quoquam meliora in medium prolata se videre. De Lindemanni conaminibus equidem sic existimandum iudicabam, ut rem integram et quasi intactam aggredi mihi viderer. Ad alterum versum explicandum attulit Wurmius, quae videntur haud contemnenda esse. Verba haec sunt, nullo cum antecedentibus coniuncta sententiarum nexu.

PVER. *Hau dones illi, hau on! bene siilli in mustine.* 22.
GIDD. *Me ipsi! eten este! dum etalamna cesti mim.*
AG. Quid illi locuti sunt inter se? dic mihi.
MI. Matrem salutat hic suam, haec autem hunc filium. 25.
HA. Tace atque parce muliebri suppellectili.
AG. Quae est ea suppellex? HA. Clarus clamor sine modo.

MI. *Lachannam* vos! quos ego iam detrudam ad molas, 33.
Inde porro ad puteum atque ad robustum codicem.

V. 22. *Hau dones* cett.] Ut supra scripsimus versum, legitur in *ΠPφ*, nisi quod in *P inustine* pro *mustine* legitur; in *φ Bene* scriptum est littera maiuscula, quod non negligendum videtur. *haudonis illi hauori benest illi immustine Λ* AVAMMAoLLιoᴀoᴄAAooANISILLoooV Ψ V. 23. *me ipsi] ΠPφ mi ipsi Λ — etalam] et alum Λ — -na cestimim]* sic *P -na cestinum Π -ne cestimum Λ -na cestinum φ*. In cod. Ψ haec leguntur: MιPSTAooEMoSιAoᴅVMETAIANooooSoIM. Ceterum in codd. uterque versus Giddenemae tribuitur. In *Λφ* punctum positum est post *ipsi* et *eteneste*.
V. 33. *Lachanam ΠPφ lachanan Λ* LACHANN. Ψ

Interpretatio.

Ante omnia videtur mihi hoc tenendum esse, quae Milphio afferat ad illa verba explicanda, meras esse nugas. Id et sponte intelligitur ex iis, quae supra de illo nebulone atque de eius interpretandi speciminibus commentatus sum, et luculenter apparet ex Hannonis verbis, qui eum iubet ineptias mittere et a muliebri garrulitate abstinere. Equidem igitur, ut aliquid haberem, quo via commonstrari posset ad iustam illorum verborum interpretationem, sic mecum ratiocinabar. Quid est illud,

*) Quae l. l. nuperrime de primo horum versuum ab eo disputata invenio, ea in adnotatione deinceps enarrabo. Ceterum haec mea scripta fuisse, antequam legissem sua, scit Gesenius.

quod illi in tali tempore loqui poterunt, quodque ita comparatum est, ut poetae operae pretium videretur, eorum sermonem admiscere? Nam profecto Plautus non tam insulsus erat poeta, ut punice loquentes illos introduceret, nisi inde aliquid proficere posset ad delectandos spectatores. Atque haec animi caussa meditanti mihi commode illud succurrebat, Giddenemen fuisse **n u t r i c e m** puellarum Hannonis (prol. 86. scen. II, 145. 151. III, 28). Memineram autem nutrices apud antiquos populos reliquarum ancillarum conditionem multum superasse (Hom. hymn. ad Demet. 103), atque cum rebus domesticis plerumque praefuisse tum reliquae ancillarum et servorum familiae quandam dominationem exercuisse*). Puer (i. e. servus) igitur ille, qui unus est ex pedissequis Hannonis (II. v. 18), in Giddenemen intuetur ut villicam suam et quasi dominam et heram. Rem igitur sic tibi finge. Servus ille punicus accedit ad Giddenemen, salutat eum serviliter et ut dominam veneratur. Tanta veneratione si coli viderent Romani illam mulierem, quae ipsis videretur una lenonis ancilla, non poterat hoc non ridiculum illis apparere. Jam Giddeneme, insueta dudum eiusmodi adorationis et inexspectato servi illius adspectu commota, diffluit gaudio et, uti mos est virginum vetularum, ad molliores se dat sensus, quos verbis se prodere non posse, delicata dictione simulat. Affectatae istae deliciae mulieris blaude subridentis et intimo animo percitam se praebentis cachinnum auditorum satis poterant movere.

Itaque equidem optimorum librorum scripturam presse secutus, sic illa scripserim punice:

חַו (א)דֹנֶת עֲלֹי חַו הוֹן בְּעֵינֵי שֶׁעֲלֹי חֵן מָצָאתִי־נָא

s a l v e d o m i n a v i l l i c a, s a l v e p l u r i m u m; i n o c u l i s v i l l i c a e u t i n a m g r a t i a m i n v e n e r i m.

Cui respondet Giddeneme:

מֶה חֶפְצִי עֵדֶן אֶשְׁתֶּה דּוּם אֶתְאַלֵּם־נָא חַשְׁתִּי מֵעַיִם

i. e. **Q u a e** (est) **d e l e c t a t i o m e a,** (quae) **v o l u p t a s** (quam) **h a u r i a m! s i l e n d o c o n t i c e s c a m, p e r c i t a s u m p r a e c o r d i i s.**

Videamus singula. *Hau]* חַו **s a l v e,** vide supra ad II, v. 34. Habemus igitur h. l. numeri singularis exemplum — *dones]* אֲדֹנֶת **d o m i n a,** existimo femininum esse derivatum ab אָדוֹן, pro אֲדֹנָה, uti גְּבֶרֶת domina pro גְּבִירָה, ad analogiam vocum שִׁבֹּלֶת, קְטֹרֶת, at non opus est his exemplis, cum Poenos constet feminina plerumque in ת terminasse, uti רבת **d o m i n a,** עלת **h o l o c a u s t u m.** Litterae autem ת apud Poenos sono blaeso pronuntiatae supra permulta habuimus exempla, veluti *alonus, elicos, avas,* cf. etiam *Baesippo* i. e. בית־יפו — *illi]* עֲלֹי femininum est vocis עַל (עֲלִי) **s u m m u s,** pro hebraica forma עֲלִית, omisso ת ut *Malaca* ex מְלֶכֶת. Hoc nomine ornat villicam, praepositam quondam sibi. — *on]* quod repetitae salutandi formulae est additum, est הוֹן, adverbium illud, etiam apud Hebraeos usitatum, Prov. XXX, 15. 16. Cum radix הוּן significet: **c o m m o d e, b e a t e v i x i t,** facile vides, quantopere hoc congruat cum illo חַו. Est igitur proprie, **c o m m o d e v i v a s, s a t i s v a l e** i. e. **s a l v e m u l t u m.**

Reliqua servi verba satis sapiunt hebraismum. Cf. Gen. VI, 8. וְנֹחַ מָצָא חֵן בְּעֵינֵי יְהוָֹה XVIII, 3 אֲדֹנָי אִם־נָא מָצָאתִי חֵן בְּעֵינֶיךָ — *siilli]* est genitivus vocis superioris עֲלֹי. — *in]* i. e. חֵן cf. nomina propr. Ἰνίβαλος, quod equidem explicuerim discedens a Gesenii et Hamakeri auctoritate חֵן־בַּעַל, *Himilcar* חן מלקר, *Chinisbo* (sic enim hoc nomen ego scribendum censeo pro vulg.

---

*) Sic apud Homerum Εὐρύκλεια, Ulixis nutrix, eadem est ἡ γυνὴ ταμίη (Od. β, 345 υ, 129), cellae penariae et domus copiis praeposita (β, 346), reliquarum ancillarum σκοπός (χ, 396), quibus illa mandata dat (τ, 16. υ, 147. χ, 425), admittitur ad omnia Ulixis et Telemachi consilia (β, 373) multumque in eius domo ab omnibus colitur κ, 142 (ἶσα δέ μιν κεδνῇ ἀλόχῳ τίεν ἐν μεγάροισιν).

Chinisdo) i. e. חן שׁבּעל, quod ab *Chanebo* (חנן בּעל) eodem modo differt uti Ἴνιβαλος ab *Hannibal, Himilcar* ab *Hamilcar* et חנּיאל ab חנּנאל. Omnia enim ex hoc genere nomina, quae in prima syllaba vocalem habent *a*, uti *Hannibal, Hamilcar* sive *Ammicar* cett. ab חנן derivanda existimo, (cf. p. 30) quae autem *i* habent, eorum etymon est חן. Addo illud quoque, nomen חנאאשמן quod legitur in inscript. Citiensi VIII, non debuisse Gesenium (p. 350) explicare *gratia* τοῦ Ἀσκληπίου, ut א esset articulus. Immo illud א est suffixum א pro ה i. e. ו. Est igitur חנּא אֶשְׁמֻן quem donavit Esmûn, i. e. *Asclepiodorus*, ut recte vertit p. 129, cf. *Annobal*.

mustine] Quum supra שקראתי *sucourati* scriptum sit, facile credes מצאתי a Poenis *musati* pronuntiatum esse, quod propter adiectum נא contractum est in *mustine*. Verum vocabulum me eruisse, magis nunc credo, quod in idem incidisse nunc video Gesenium.

Gesenius in diariis Halensibus hunc versum sic scribit et interpretatur:

Hau doni silli, hau ori bene silli, im mustine (chen)

חָוָה אֲדֹנִי שֶׁלִּי חוה אוֹרִי בְּעֵינַי שֶׁלִּי אִם מָצָאתִי נָא (חֵן)

quod vertit: salve domina mea, salve lux oculorum meorum, utinam invenerim (sc. gratiam).

Det mihi hanc veniam Vir Summus, ut ea, quae contra monenda habeo, libere profitear. Quod in illa salutandi formula illud *doni*, i. e. mi domine, etiam feminis acclamatum putat, id vereor ne persuasurus sit nemini, neque debebat, ut hoc defenderet, nostrarum feminarum formulam *Ihr Diener* (pro *Ihre Dienerin*) ut similem conferre, quum hic non de eius qui salutat, sed potius de eius qui salutatur sexu agatur. Neque placet in trita ista et quotidiana formula expressior illa genitivi forma *silli*, quae plane superflua est. Deinde quod *ori* recepit pro *on*, id nihil est nisi corruptela aliqua codicis Lipsiensis, qui in his punicis huiusmodi scribendi vitiis scatet. *Bene* (בְּעֵינַי) autem facile mihi concedet Gesenius cum sequenti potius phrasi iungendum esse; in hac denique si חן putat omitti potuisse, id non credam, antequam exemplis fuerit comprobatum; quod addit, fortasse omissum illud fuisse, quia Giddeneme celeriter eius verba exceperit, id haud scio an alienum sit a consuetudine veterum poetarum dramaticorum. In mea autem interpretatione quia Gesenius facile desiderarit particulam אם, nec probaverit fortasse accusativum חן verbo suo praemissum, age, paciscamur ita, ut levi aliquo remedio has, si quae sunt, difficultates, removeamus. Suaserim tum, ut pro *mustine* legatur *mustinen*, ut illud sit: אִם מָצָאתִי־נָא חֵן, aut *mustien* אִם מָצָאתִי חֵן omisso נָא. Supra quidem docui, חן pronuntiatum esse *in*, verum etiam affinis pronuntiatio *en* defendi potest nomine proprio Ἔνυλος, (Arrian II, 20) quod equidem explicuerim חן אל, quod ipsum nomen legitur in inscr. Citiensi tertia, Monum. p. 133, ubi Gesenius confert Hebraeorum nomen חַנִּיאֵל.

De codicis palimpsesti scriptura *avamma* quid sentirem, supra p. 32 exposui.

V. 23. *Me ipsi*, מָה חֶפְצִי attulit iam Lindemannus. De vocibus proxime sequentibus cf. Psalm. XXXVI, 9 נַחַל עֲדָנֶיךָ תַשְׁקֵם *einen Strom deiner Wonnen lässest du sie trinken*. Vox שָׁתָה bibere alibi quoque metaphorice usurpata est, cf. Job. XV, 16 שֹׁתֶה עַוְלָה bibens iniquitatem, cf. etiam Anacreon. fragm. 58. ἔρωτα πίνων, Virg. Aen. I. 749 *bibebat amorem*, et notas dictiones *voluptatem haurire* cett. — *dum]* silendo est infinitivus absolutus verbi דּוּם sive דָּמַם silere; *etalam* autem est conj. Hithpael verbi אָלַם, cuius coniugatio Niphal apud Hebraeos est obmutescere, apud Poenos autem pro illa coniugatione Hithpael videtur usitata fuisse. Sed ut minus dubites, recte has voces me adhibuisse, cf. Psalm XXXIX, 3 ubi easdem coniunctas habes: נֶאֱלַמְתִּי דוּמִיָּה. De omissa geminatione mediae radicalis cf. supra ad II, v. 67. Additum autem est verbo illi נָא Hebraeorum more, id est, permittas ut taceam, *doch lass mich schweigen*. —

chesti] puto esse חִשְׁתִּי a radice חוּשׁ, quod de animo percito et commoto dici apparet ex Job. XX, 2. — *mim* est מֵעַיִם viscera, intimus animus. Cf. Job. XXX, 27. Thren. I, 20. Cant. V, 4. Psalm. XL, 9. Jes. XVI, 11. Wurmius hunc versum sic interpretatur:

מֵחֶפְצִי הִתְאַבַּשְׁתִּי דּוּם עַד עֶלֶם בָּבְשׁתִּי בָּעִים

quod vertit: prae desiderio aegritudinem suscepi tacite, donec ad adolescentem accessi optatum.

V. 33. *Lachannam* explicavimus iam supra ad II, v. 53 p. 35.

Superest, ut huius fabulae lectoribus explicemus vim et significationem nominum propriorum.

Hanno, quid sit, vide supra ad v. 35.

Giddeneme (sic plerumque codd. sed in praescriptione personarum scenae III GIDDENIS Ψ CIDDIS *P*, in *Π* hic quoque GIDDENE ME dicitur) explicat Gesenius גַּד נַעֲמָה fortuna favens *(Glückshold),* Bellermannus גְּדִיָּה נַעֲמָה caprea grata, *liebliche Gazelle.* Orientales enim populos idem monet amare animalium nominibus appellare homines, veluti *Rahel* רָחֵל (ovis), *Daja* דַּיָּה (vultur), *Debora* דְּבוֹרָה (apis), *Zippora* צִפּוֹרָה (avicula), *Zebia* צְבִיָּה (dorcas), *Jona* יוֹנָה (columba), *Nemela* נְמָלָה (formica), *Oreb* עֹרֵב (corvus), *Kaleb* כָּלֵב (canis).

Jachon (*Hiaon* Ψ *ihon* v. 112 *iahon P Jachon φ*) explicat Gesenius יָכִין, (quem) stabilit Deus cf. hebr. יָכִין Gesen. XLVI, 10.

Ampsigura (sic *φ*; *Amsigura* Ψ modo *Ampsigura* modo *Amsigura Π.*) interpretatur Gesenius אמת יגרה serva timida sc. Deorum. Meam sententiam vide supra p. 23 ad v. 9.

Addenda et Corrigenda.

Quae supra commentatus sum de ratione, quae intercedat inter decem versus priores et adiectos reliquos, ea nuper assensu suo comprobavit Gesenius in diariis Hal. Quod p. 10 dixi, versionem prosaicam punicam „sive ab ipso Plauto sive ab alio, cui demandarit hoc munus, compositam esse" recte monet Gesenius, debuisse me Plauto potissimum illam adsignare, quoniam punica alterius et tertiae scenae a nemine possint nisi a Plauto ipso composita esse, ideoque illum punicae linguae satis gnarum fuisse appareat. Fallitur autem Gesenius, si l. l. haec punica scenae II et III eadem dictione scripta existimat atque decem illos versus. Immo ista vulgari dialecto, quam prosaica Hannonis oratio refert, scripta esse, equidem certum et compertum existimo.

Sed ante omnia de versu secundo illius orationis, nam de primo adstipulatur mihi Gesenius, tum novas Gesenii tum secundas meas curas communicabo. Ille hunc versum nunc sic statuit scribendum:

Chy mlahchii nythmu, my 'sthyal mycthibariim:

כִּי מְלָאכִי נִתַּמּוּ מִי יִשְׁתְּאַל מִכְּדִבְרֵיהֶם

quod sic reddit: (celebro Deos) quod mea negotia confecta sunt. Quis se subtraxerit eorum (Deorum) iussis? Maluisse se scribere ait מְלָאכִי, quae vox apud Phoenices generis masculini fuisse videatur, quam מַהֲלָכִי, quia I. Reg. VII, 22 legatur וַתִּתֹּם מְלֶאכֶת־ *confectum est opus,* ut coniunctio duarum illarum vocum videatur maxime fuisse usitata. יִשְׁתְּאַל ait passivam esse formam vocis שְׁאַל, quam non legi nisi apud Syros, apud quos cum מִן constructum illud significet se subtraxit alicui rei, evitavit aliquid. Confert Acta Apost. XXV, 11. coll. ep. ad Hebr. XII, 25. II. Timoth. II, 16. 23. Tit. III, 9. Liceat mihi pauca contra monere. Quum in ista sig-

nificatione illius verbi vix negari possit proprietatem quandam linguae Syriacae cerni, quaeritur, num satis tutum sit hunc syriasmum adsciscere, praesertim quum illi versus antiquam dialectum fere phoeniciam nobis repraesentent. Deinde quod Gesenius scripsit מִכִּדְבָרֵיהֶם, id confiteor me non satis intelligere. An Hebraei usquam particulas מִן et כְּ copulaverunt? Quantum ego dispicio, repugnat et usus et ratio. Fieri enim hoc non posset nisi ita, ut כְּ haberet loci significationem. At mittamus verba, videamus iam sententiam. Dicit Gesenius iure suo se reddere posse illa: quod mea negotia confecta sunt, quia Hanno iam certior factus sit, Agorastoclem Calydone esse et in hoc vico habitare. At vero negotii sui ne tantillum quidem Hanno confecerat nunc quidem. Negotium enim eius hoc erat, ut filias quaereret fratrisque filium: nunc autem nihil scit, nisi quod iam dudum compertum habuerat, hospitis sui Antidamae filium Agorastoclem superstitem esse Calydone, eumque in his regionibus nunc audiverat domicilium habere. Hunc autem Agorastoclem fratris sui filium esse, id scilicet nihil plane suspicatur. Deinde quid sibi volunt verba: *quis se subtraxerit eorum iussis?* Quae neque cohaerent cum reliquis, quum de iussu aliquo aut auctoritate Deorum, cui paruerit Hanno, nihil praeterea significetur, neque in latinis versibus habent quod respondeat.

Sed eandem plane sententiam inesse ait Gesenius in altero versu recensionis punicae, quae in palimpsesto legitur, quem sic vult legi:

CY MHALCI TVMA MISTAL AMELOTHAM

כי מהלכי תמה מי ישתאל המלותם

Explicationem ipse non addidit; videtur igitur מִלּוֹתָם legere, quod idem sit quod דְּבָרֵיהֶם, at desidero tum praepositionem illam מִן, qua maxime opus est in eius interpretatione verbi יִשְׁתָּאַל.

Nec mea, quae supra de hoc versu proposui, mihi probantur. Etenim illud כְּתַמִּים *probae* neque habet in latino versu quod respondeat, et Gesenius monuit illam significationem ne inesse quidem posse in illa voce. Tum כְּדִבְרֵיהֶם neutiquam credo pronuntiatum esse *cthibaruim,* neque intelligitur, quid sibi istud velit h. l., quum Hanno Deos se iussisse Calydona adire aut prosperum eventum spopondisse nusquam declaret. Deinde illud *ischi* legitur tantum in codice Lipsiensi, depravatissimo illo, optimi libri habent *ysehi* aut *isehi.* Hoc quidem haud scio an recte Tychsenius explicuerit עִם יִשְׁעִי cum salute mea, in meam salutem, sed tamen, ut magis congruant verba cum sequenti versu, equidem aliud quid tentabo. Illud כִּי denique significat quidem ita ut, at non puto post precandi verba illud dictum esse. Age igitur, videam, num melius nunc et cumulate explere possim interpretis munia. Codicum vestigia pressius secutus nunc sic scribo versum illum:

chy mlahchii nytlmu, im ysthyalmy cthibarii, im ys ehi,

כִּי מַהֲלָכַי נִתַּמּוּ אִם יִשְׁתַּלְּמוּ כִּדְבָרַי: אִם עֹז יְהִי

i. e. quoniam viae meae confectae sunt, utinam perficiantur pro rebus meis; utinam potestas fiat, quibuscum connecte verba sequentis versus: mihi hic, recuperandi filium cett. sive, quod est in latino versu: *quod huc veni de re mea rite venerim.* Quaeritur igitur, utrumne latinus ille versus, in quo illud *de mea re* vulgo alieno loco positum est, sic potius scribendus sit:

ut huc quod veni, e mea re rite venerim.

Quod *ys* esse puto עֹז, tu confer צֹר *Tyrus,* זֹאת *syth,* כִּנּוֹר *κίνυρα,* בָּצְרָה *Βύρσα,* בְּאֵרוֹת *Berytus* cett. (cf. Gesen. Mon. p. 435.) Pro *mlahchii* facile suspiceris *mhalchii* corrigendum esse, at plures eiusmodi transpositiones inveniuntur, veluti *ἀλσουναλφ* pro *lasunalph,* לְשׁוֹן אָלֶף, *ysthyalmy* pro ysthylamy; *alcen* pro *lacen* (p. 23 ad v. 7.).

Jam videamus punicam etiam recensionem, ac primum quidem palimpsesti. In quo quod servatum est nobis:

CYMBALC VMAMITALA: LOTHAMBIAI

id nunc sic restituo: CYMHALCITVMVIMITALLELOTHAMBIAI

id est:

כִּי מַהֲלָכַי תַּמּוּ אִם אֶתַעֲלֵל אֹתָם : בְּעִי

q u o n i a m v i a e m e a e c o n f e c t a e s u n t , u t i n a m p e r f i c i a m e a s . P r e c a t i o (m e a ?) .

Quod in reliquis libris admodum depravate scriptum est;

concubi tuma belloc utim beat

sic mihi restituendum videtur: *cumalci tumu etallel utim beai*

כִּי מַהֲלָכַי תַּמּוּ אֶתְעַלֵּל אֶתְהֶם : בְּעִי

in quo vide, quomodo grammaticus ille noster, de quo p. 31 diximus, pro אֶתְהֶם scripserit in palimpsesto אֹתָם et addiderit particulam אִם. Ceterum haud scio an in palimpsesto pro אִם אֶתַעֲלֵל scribendum potius sit מִי יִתְעַלֵּל, praetuli autem illud, quia ex MVI enatum videtur MA. Supra quidem in versu phoenicio admodum velim ut מִי scribi possit, quod commode fieri poterit, si huic particulae מִי eam vim tribueris, ut sit q u o m o d o.

V. 4. In prima huius versus voce *birna* latere putat Wurmius derivatum aliquod verbi אמן, quod respondeat latinae voci: *v o s t r a m f i d e m.* Forsitan illi pro אֹמֶן formam aliquam אֱמֻנָה vel similem habuerint. Itaque quaeritur, utrumne illud *birna (byrna Yφ byma P)* in *bimna* potius quam in *birua* mutandum sit.

V. 6. Quod supra in adnotatione proposui, ut *dobrim* scriberetur, eam formam commendat etiam Wurmius. Vellem igitur scripsissem supra *dobrim mthy.* Totum versum sic interpretatur Wurmius:

אִישׁ זֶה דֹּבְרִים כִּי פָּעַל אֶת־כָּל־עִסְקוֹ בָּכוֹן (כָּתוּן) לִפְעֹל

quod sic latine reddit: **v i r u m h u n c a i u n t f e c i s s e o m n e s u u m n e g o t i u m c o n s t i t u t u m (d a t u m) a d f a c i e n d u m .** In his repudio maxime thalmudismum עִסְקוֹ.

V. 9. De בִּין אֶרֶץ monet Gesenius scribendum certe fuisse בֹּון אֶרֶץ, ut esset infinitivus absolutus. Melius fore בִּיכָה אֶרֶץ I. Chron. XII, 32, Job. XXXVIII, 4, Jes. XXIX, 24, nisi nimis recederet hoc pariter atque illud a sonis traditis.

V. 10. Equidem supra cum Gesenio asserui, ultimam vocem punici versus *lus* videri corruptelam esse pro *lusim,* quod legatur in versu phoenicio. At dubito aliquantum, quia illud et in palimpsesto legitur et in reliquis codd., qui non sunt derivati ex illo. Quaeritur igitur, utrumne illud *lus* sit potius לַחוּץ *foras,* pro quo in phoenicio versu propter assonantiam pluralis positus sit לחוצים (pro hebraico לַחוּצוֹת) aut לַחוּץ הֵם **f o r a s s u n t.** Explicuerim tum, quod in codd. *YPφ* legitur *nimco lus:* כְּעִים כה לחוץ **q u i c u r s i t a n t h u c f o r a s.** Cf. Jerem. Thren. IV, 14 כָּעוּ בַּחוּצוֹת **c u r s i t a n t f o r a s.** Bene tum concineret latinus versus: *qui huc progrediuntur foras.*

Pag. 10 l. 32. scribe *macom* pro *macum.*

p. 15. In latina versione punicorum versus 7 et 8 transponendi sunt, ut qui nunc octavus est, septimus fiat.

p. 16. Cum loco citato Psalm. 124, 1 conferri iubet Gesenius Gen. XXXI, 42 ubi eadem sententia expressa sit omisso שֶׁ.

p. 17. l. 23. bis scribe *chy* pro *cy*.

p. 18. l. 23. scr. *probus* pro *probum esse*.

p. 19. ad v. 7. Adde: *avas]* i. e. היתה (הותה) 3 fem. verbi היה.

p. 20. l. 5. Quod cum Bocharto האלה praeferendum iudicavi, improbat Gesenius.

p. 20. l. 15. scr. מְכַבֵּד a כבד pro מְכַבֵּד cett.

p. 21. יֵשׁ (א)תֶּם qui estis improbat Gesenius. Mavult שֶׁאַתֶּם qui estis, ut *isthym* dictum sit pro *sthym (sithym)*. Hoc si verum est, confirmatur mea explicatio nominis *Chinisbe*, quam supra p. 40 proposui.

p. 32. l. 29 et 31. lege בֶּן pro בן.

Si hic illic puncta hebraica exciderunt, condonetur hoc typographis nostris aulicis, qui scilicet in hebraicis non admodum sunt exercitati. Ceterum magis typorum culpa illud factum est quam operarum, qui satis diligentes et obedientes se praestiterunt.